



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

4. Vade, ostende te sacerdoti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

4. Vade ostende te sacerdoti.

**A**RGOCANTER hoc loco contra Catholicos insurgit Caluinus his verbis.  
*Christus mittens leprorum ad sacerdotem ritus in lege prescriptos usque ad tempus abrogationis seruare iubet. Quod hinc confessionis sue legem eliciunt Papistae, in eo sunt insulti. Lepram allegorice volunt esse peccatum: Sacrificos autem quos Papa inaugurat, spiritualis lepra esse cognitores. Ut demus in lege sacerdotibus hanc potestatem ideo datam esse ut sciret populus totum suam munditionem eiusque iudicium pendere a sacerdotio; impie tamen hoc ad se rapiunt sacrificii Papales. Quicquid enim honoris datum erat antiquis sacerdotibus, nunc unus Christus sibi vendicat. Hac ille. Sed quicquid homo impius contra praesentes Catholicos deblaterat, hoc torum in doctissimos & antiquissimos Patres redundat, quos hunc haeretico meritò opponemus. S. Chrysostomus ita scribit. Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudeorum sacerdotibus solis licebat. At vero nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum anima sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Hac ille. Vide Bedam lib. 5. cap. 68. in Luc. & August. qq. Euang. lib. 2. q. 40. Unica ratio quam adserit Caluinus, ex ipso Caluno refellitur. Si enim quicquid honoris antiquis sacerdotibus datum erat, unus Christus sibi vendicat, & tamen illis hanc potestatem datam fuisse Caluinus agnoscit, ut sciret populus totum suam munditionem eiusque iudicium pendere a sacerdotio: profectò falsum erit quod postea hoc loco Caluinus subiungit, & omnes hodie haereticorum scholæ sustinent, ex Christi mandato suam peccatoribus munditionem pronunciare Euangelij ministros. Iam enim*

Papistarū nomine antiquissimos Patres Caluinus taxat.

Sacerdotes peccata purgant. De sacerdotio lib. 3.

Caluinus à seipso refutatur.

enim inuenit ipse Caluinus, non vnum Christum  
sibi vindicare quicquid honoris antiquis sacer-  
dotibus datum erat, sed omnes Euangelij sui mi-  
nistros hoc honore, idque ex Christi mandato,  
gaudere, quod suā peccatoribus munditiem pro-  
nuntiant: qui sane honor antiquis sacerdotibus in-  
figura tantum datus erat, circa lepræ munditiem  
pronunciandam. Cæterum non vnum Christum  
omnem sacerdotalē honorem sibi vendicare,  
sed pro sua dignatione & perpetua Ecclesiæ suæ  
conservatione, sacerdotibus Euangelicis magna  
ex parte impariſſe, tota SS. Patrum antiquitas  
contra impium Caluinum docet. Vide illorum  
verba in Prompt. Cath. in dom. in Albis. Vnuſ  
Chrys. apertissimè loquitur. *Pater (inquit) omne iudicium dedit filio: sed hoc totum video à Dei filio sacerdos tibus traditum.* Hæc ille.

Lib. 3.  
de sacer-

26. *Vt quid enim est modicæ fidei?*

**O**BSERVATIONE dignum est hoc  
loco, agnoscere necessariò Caluinum  
quemlibet timorem non esse fidei contrarium, &  
fidei defectum nō quolibet timore coargui, sed ea formidine  
qua conscientia pacem turbat, vt non recumbat in Dei pro-  
missiones. Hæc enim coufessio certitudinem fidei, Certitudo  
fidei Cal-  
uinianæ  
refellitur.  
quam perpetuò docet, adeo refellit, vt propterea  
in Institutione, sua vbi totam hanc doctrinam  
accuratius pertractat, certitudinem quam ponit  
omni timore vacuam ab omni trepidatione &  
dubitacione liberam statuat: lib. 3. cap. 2. Quem  
etiam in finem Scripturas omnes que ad timorem  
nos hortantur, egregie deprauat, & nihil aliud  
quam reuerentiam filialem nos docere disputat.  
Vide opus nostrū de Iustificat. lib. 8. cap. 26. & 27.

F 3

Sanè